

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

bola. Ita apud P. Alphonsum Pisanum
l. 3. de Nic. Concilij decretis.

Unde patet, Stuckium non juvari
prædictâ 2. lectione: nam Stuckius non
vult intueri oculis fidei Christum in
altari positum, in manibus fidelium
rentum, & sub speciebus panis conten-
tum: quæ tamen credenda & oculis
fidei perspicienda esse vult S. Chryso-
stomus.

C A P U T X I.

TERTULLIANUS, CYPRIA-

*nus, Chrysostomus, & Basilium
nobis favent.*

PAtres comparant indignè Evchari-
stiam sumentes cū illis, qui Christū
occiderūt, &c. sed hanc comparationē
illi non facerent, nisi nobiscum crede-
rent in Evcharistiâ realiter præsentia
esse corpus & sanguinem Christi; er-
go. Nam Tertullianus lib. de idolo. lo-
quens de promotis indignè ad sacer-
dotium aut Diaconatum, ita scribit:
Proh scelus! semel Judei Christo manus
E s intru-

inulnerant; isti quotidie corpus eius la-
cessunt: ô manus praevidende! Cypria-
nus term. 5. de lapsis, reprehendens
eos, qui post negatum Christum ad
Eucharistiam accedebant, nō prius per
penitentiam purgati: *Vis, inquit, in-*
fertur corpori eius & sanguini, & plus
modò in Dominum manibus, atque ore
delinquunt, quàm cùm Dominum nega-
verunt.

Chrysostomus hom. 83. in Math.
ait: Cogita, quantâ indignatione adver-
sus proditorem, adversus eos, & qui cru-
cifixerunt ipsum, movearis: & cave, ne
tu quoque corporis & sanguinis Christi
reus efficiaris. Illi acerbissimè truci-
dârunt; tu post tot, tantâque beneficia
sordidè suscipis omnia. &c. Quos ra-
dios solares non deberet excedere manus
illa, quae hanc coronam periractat; os,
quod igne impletur spiritali; lingua, quae
cruentatur hoc admirabili sanguine?
Et hom. 7. in Math. Cave, inquit, ne
Herodi efficiaris similis, & dicas: Ut
& ego veniens adorem eum: cùmque
veneris, interficere coneris. *Huius*

etc.

etenim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterij.

Basiliius l. 2. de Bapt. c. 2. sic loquitur: Si tales mina adversus eos posita sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur: quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quamvis enim majus aliquid is est templo secundum Domini vocem, tantò gravius & terribilius est in anima impuritate constitutum corpus Christi temerè contingere, quàm sit accedere ad arietes vel tauros.

Incredibile autem videtur, Patres sensisse, majus esse peccatum indignis manibus tangere aliquod signum representans Christum, quàm Christum ipsum negare, vel perimere. Quis enim ita desipit, ut dicat, gravius peccare eum, qui cum conscientia peccati tangit codicem Evangelij, aut aquam Baptismi, quàm illum, qui Christum coram persecutore negat? Dic, quæso, cur Patres non æquè invehuntur in eos, qui pollutis manibus tangunt S. Codicem, atque in eos, qui pollutis manibus tangunt Evcharistiam?

E 6

De-

Denique Patres volunt, summam cautionem adhiberi, ne aliquid Evcharistiæ in terram decidat : Tertull. de coronâ militis. Orig. hom. 13. in Exod. Cyrillus catech. 5. Dicunt præterea, sacra Evcharistiæ symbola adorari : Theodor. dialog. 2. Ambros. l. 3. de Spiritu. Aug. in ps. 98. Orig. hom. 5. in diversa loca Evang. Quid est autem causæ, cur Patres tantam cautelam & adorationem exigant circa Evcharistiam, & non circa Baptismum, aut S. Codicem? Plura Patrûm testimonia Catholicis faventia vide apud Bellarminum, Gualterium, Sanctesium, Forerum & alios. Jam superest

PARS SECUNDA.
IN QUA ADVERSARIO-
rum argumenta dis-
solvuntur.

Quoniam hucusque luculenter ostendimus, nos in negotio Evcharistiæ magis secundum S. Scripturam & Patres, quàm Adversarios, loqui; idcirco nihil aliud superesse videtur, quàm ut ipsorum obiectionibus respondeamus. Sit itaque

C A.